

mundum nec ab æterno esse, nec fortuitò sic coalescere potuisse. Id quod eum ipsum non inficiaturum, opinamur, cum & ipsemet ex contingente existentiâ mundi ad existentiam DEi concludat, & Apologeta ejus *Ge. Henr. RIEBOVIUS* in der *Fernerer Erläuterung der Vernunft. Gedant. des Herrn Hoff-
Mabts Wolfens von Gott, der Welt, und der Seele des Menschen, integrum, Cap. I. eò impenderit, ut probaret, non adscribi per hanc Philosophiam mundo æternitatem.*

§. IV.

Atque hinc constabit: Utrum doctrina de Creatione mundi sit articulus fidei purus, an mixtus? de quo diversimode loquuti Theologi deprehenduntur. Nimirum, quando creatio specialiter spectatur, doctrina de eâdem articulum omninò purum constituit, quandoquidem singularum rerum productionem, ratione modi, materiæ ex quâ, temporis, & reliquarum circumstantiarum, lumen Naturæ suis ex principiis explicare & probare neutiquam potest. DEum etenim operi creationis absolvendo sex destinasse dies, die autem septimo ab omni opere suo, quod fecit, quievit; quid singulis diebus procreatum; pisces ex aquâ, gramina, herbas, arbores, ipsaque animantia bruta è terrâ prodire fecisse; undenam, quæso, rationi, citra revelationem divinam, innotescere potuisset? Ortum humani generis ipsum, quod sapientissimus Creator, præviâ quasi in S. S. Trinitatis consilio deliberatione, postque ceteras creaturas jam tum existentes, primum masculum, quoad corpus, è terræ pulvere formaverit, formato mox inspirans spiraculum vitæ, quo factus homo in animam viventem, deindeque ex costâ de eo sumtâ mulierem ædificaverit, *Gen. I, 26. II, 7. 21. 22.* atque hoc unicum duntaxat immediate creaverit hominum par, quò faceret ex uno sanguine quodvis genus hominum habitare super totam faciem terræ, *Act. XVII, 26.* aliaque huc spectantia benè multa vel in hunc usque diem ignoraremus, nisi de iis certos nos reddidisset *Ἱστορικὸς* Historicus, Moyses. At, quando generaliter creatio sumitur, quatenus de-

A 3

notat